

POESEOS ASIATICÆ  
COMMENTARIORUM

*PARS PRIMA.*

---

CAPUT I.

*Asiaticos ferè omnes Poeticæ impensius esse deditos.*

**I**NSTITUENTI mihi de Poesi Asiaticâ differere, prima sese offert Hebræorum poesis, verbis splendida, sententiis magnifica, translationibus elata, compositione admirabilis, origine tandem, quod de nullâ aliâ dici potest, verè divina. Laudare tamen Vates illos Sanctissimos, &, quanta sit in eorum carminibus cùm elatio dicendi, tum etiam pulchritudo, exponere, nec mihi sanè erit facile, nec lectori necessarium. Opus enim *de Sacrà Poesi* absolutissimum, nemo est, opinor, in his studiis versatus, qui non perlegerit; nemo, cui non summam admirationem attulerit cum argumenti dignitas, & eruditi auctoris singulare iudicium, tum Latini sermonis venustas ac nitior.

## 2 POESEOS ASIATICÆ COMMENTARIUM.

Humilius equidem argumentum mihi tractandum proposui; sed difficultatis, sed laboris plenissimum. Etenim è fontibus reconditioribus, ac propè obstructis, haurienda est materia; revocandi sunt in lucem Poetæ, quorum opera obscuravit vetustas, & quorum pœnè memoriam delevit oblivio. Præterea, refutandi sunt imperitorum hominum sermones, debellandi errores, minuenda opinionum perversitas. Itaque, ut Varronis utar verbis, “ non mediocres tenebræ  
 “ in sylvâ, ubi hæc captanda; neque eò, quò  
 “ pervenire volumus, semitæ tritæ; neque non  
 “ in tramitibus quædam objecta, quæ euntem  
 “ retinere possunt.”

Aggredior scilicet de iis gentibus disputare, quarum poësin reformidant fastidiosæ *Europæorum* aures. Nos enim translationes mitigare solemus, ac lenire; *Asiatici* verò, temerè & incitatiùs exaggerare: nos studemus ut verecundæ sint, & quodammodò se faciliè infinent metaphoræ; illi, ut violentè irruant: nos, ut sint politæ, nitidæ, venustæ, nec longè ductæ; illi res pervagatas & in medio positas transvolant, & interdum longissimè repetitas captant imagines, quas ad satietatem usque cumulant: *Europæi* denique poetæ in eo potissimùm laborant, ut jucundè, ut dilucidè scribant; *Asiatici*, ut vastè, ut luxuriosè, ut dissolutè. Inde fit, ut,

## POESEOS ASIATICÆ COMMENTARIUM. 3

si cum *Arabum* ac *Perfarum* carminibus comparatur elatissima Europæorum poesis (*Græcam* semper excipio), remissè protinus fluere, & quasi labi videatur,

*Ut lana tincta purpuram citrà placet,  
At si contuleris eam lacernæ,  
Conspectu melioris obruatur\*.*

sed hanc tamen Asiaticæ dictionis elationem, vix aut ne vix quidem percipiet is, qui interpretationes tantummodò leget: sua est enim linguis omnibus gratia, & quasi color proprius; sua porrò verborum series & collocatio, ac sententiarum junctura, quas si quis dissolverit, totam continuò distulerit suavitatem, totumque venustatis lumen extinxerit.

Asiaticorum igitur poemata legentibus, tenenda est eorum historia; perdiscendi sermones, quorum exquisitiores elegantia sunt investigandæ, cognoscendi mores, disciplina, opiniones, fabulæ, proverbia; carmina demum Perfarum atque Arabum, *oculis & mentibus*, ut ita dicam, *Asiaticis*, legant necesse est †.

Nec verò me latet nonnullorum hominum increbuisse sermonem, qui harum gentium po-

\* Ovid. apud Quintil. *Instit.* lib. x. cap. x.

† Vide De Sacra Poesi, Prælect. vi. and vii.

## 4 POESEOS ASIATICÆ COMMENTARIUM.

esse incultam esse autumant, & horridam. Illis abundè erit, ut spero, in hoc opusculo responsum, fatisque probatum, ea ipsa poemata, quæ injucunda & impolita temerè dici solent, delectare potius atque allicere incredibili varietate et copiâ. Verè mihi videor esse dicturus: tametsi majestatem Homeri, suavitatem Theocriti, magnificentiam Pindari, Apollonii elegantiam, Sophoclis vim, Euripidis facilitatem, Æschyli audaces figuras, Anacreontis hilaritatem, Ibyci ardorem, Stefichori gravitatem, mollitiem Alcmanis, venustatem Bacchylidis, neminem unquam scribendo consequi posse censendum est; negari tamen non potest, quin *sua* sint poetis *Asiaticis*, à naturalibus eæ quidem rebus deductæ, proprietates; *sui*-que pulchritudinis colores, ad quorum laudem poësis *Europæa* haudquaquam accedit.

Neque enim abesse potest, quin ii poetæ lætissimis abundant imaginibus, qui versentur inter amœnissimos campos, lucos, hortulos; qui deliciis atque amoribus toti vacent, qui tandem in iis regionibus commorentur, ubi solis nitor cœlique serenitas rarè nubibus obscuratur; ubi summâ florum ac fructuum ubertate cumulata natura luxuriat quodammodò & quasi lascivit; ubi denique (ut vetus ait poeta)

## POESEOS ASIATICÆ COMMENTARIUM. 5

*Segetes largiri fruges, florere omnia,  
Fontes scatere, herbis prata convestire\*.*

Ac nemo ferè est, qui nesciat plurima poë-  
teos ornamenta ex imaginibus rerum naturalium  
derivari: maximam autem *Perfidis* partem, to-  
tamque eam *Arabiam*, quæ est à veteribus pri-  
mùm *Felix* nominata, feracissimas regiones, ac  
deliciarum omnium abundantissimas, esse sci-  
mus.

Arabia verò ea, quæ *Deserta* vocatur, rerum  
earum plena est, ex quibus formidinis ac terro-  
ris depromantur imagines, quæque adè ad *ela-  
tionem* dicendi sint longè omnium aptissimæ:  
sæpe igitur in *Arabum* antiquorum carminibus  
heroes inducuntur incedentes

———*Viâ altâ atque arduâ  
Per speluncas saxi struclâs, asperis, pendentibus,  
Maximis; ubi rigida constat crassa caligo.*

Ob has præcipuè naturæ proprietates, & ob  
hanc vivendi consuetudinem, *Arabes Persasque*  
imaginibus, tum *venustis* tum etiam *elatis*, abun-  
dare arbitror, ideòque poeticam, quæ his ima-  
ginibus potissimùm constat, studiosissimè colere.

Hoc argumentum ad reliquas etiam gentes  
*Asiaticas* transferri potest, quarum scilicet ulla

\* Apud Cic. *Tuscul. Quæst.* lib. i.

## 6 POESEOS ASIATICÆ COMMENTARIUM.

ad nos pervenit cognitio: fed juvat opinionem noſtram exemplis illuſtrare, & pauca de *Sinenſium*, *Indorum*, *Tartarorum*, aliorumque, poeſi antè dicere, quàm ad Arabum fylvas, & uberimos Perſarum hortos, acceſſerimus.

In Sinenſium linguâ, quæ, ſi magno ſcriptorum gregi \* fides habenda fit, eſt omnium copioſiſſima, volumen extat pervetuſtum, quod partes complectitur quinque, & *Sbi king* vocatur: trecentas hic liber Odas continet de moribus, officiis, virtutibus; quæ eximiam habere dicuntur numerorum dulcedinem, imaginum venuſtatem. Una ex his Odis, quæ mihi valde arrifit, citatur à *Confucio*, Platone illo, ſi ita dicere liceat, Sinenſium; cujus † opera gravifſima *Oxonii* aſſervantur. Carmen ipſum, Latinis verſibus utcunque redditum, libet ſubjungere: verba Sinica, & verſionem fidam, ſeparatim addamus neceſſe eſt, propter novas literarum formas, quas æneæ tabulæ incidendas curavimus.

Vides ut agros dulcè gemmatos lavet  
 Argenteus rivi latex;  
 Virides ut aura ſtridulo modulamine  
 Arundines interſtrepat!  
 Sic, ſic amœno cinctè virtutum choro  
 Princeps, amabiliter nites.

\* Du Halde. Fourmont. Couplet. &c.

† In Archiv. Bodl. A. 1. fol. 7. p. 2.

Cambridge University Press  
 978-1-108-05573-4 - The Works of Sir William Jones: Volume 6  
 Edited by Lord Teignmouth  
 Excerpt  
[More information](#)

*Ode Sinica  
 Antiquissima.*

*Vol. II, pa. 6.*

<i>verendus!</i>	<i>ceu</i>	<i>est</i>	<i>Vide</i>
喧	如	有	瞻
	<i>qui radit</i>	<i>decorus</i>	<i>illius</i>
兮	厥	斐	彼
<i>est</i>	<i>ceu</i>	<i>virtutibus</i>	<i>aque</i>
有	如	君	淇
<i>decorus</i>	<i>qui polit</i>	<i>Princeps</i>	<i>rivum</i>
斐	璵	子	澳
<i>virtutibus</i>	<i>gemmas;</i>	<i>cei</i>	<i>virides</i>
君	瑟	如	菰
<i>Princeps;</i>	今	切	竹
子	倜	<i>qui secat,</i>	猗
<i>in finem</i>	兮	<i>cei</i>	猗
終	赫	如	<i>luxuriant!</i>
<i>non (quis)</i>	兮	居	猗
不	兮	<i>qui linat</i>	(sic)
<i>Populumus</i>		<i>elur,</i>	
可			
<i>oblivisci.</i>			
諠			
	<i>O quam</i>		

*Citatur: in Confucii libro qui dicitur Tà Hio.*

大學

Cambridge University Press  
 978-1-108-05573-4 - The Works of Sir William Jones: Volume 6  
 Edited by Lord Teignmouth  
 Excerpt  
[More information](#)

*Ode Sinica  
 Antiquissima.*

Vol. IV. p. 7.

<i>verendus</i>	<i>ceu</i>	<i>est</i>	<i>Tide</i>
喧	如	有	瞻
兮	<i>qui radit</i>	<i>decorus</i>	<i>illius</i>
<i>est</i>	琢	斐	彼
有	<i>ceu</i>	<i>virtutibus</i>	<i>aque</i>
斐	如	君	淇
<i>virtutibus</i>	<i>gemmas</i>	<i>Princeps</i>	<i>vivum</i>
君	<i>clitus</i>	<i>noster</i>	澳
子	瑟	子	<i>virides</i>
<i>in sinem</i>	令	如	比
終	<i>Sugar</i>	<i>qui sciat</i>	<i>arundines</i>
<i>non (quis)</i>	個	切	竹
不	<i>celebris</i>	<i>ceu</i>	<i>juvante</i>
<i>Poss. unus</i>	赫	如	猗
<i>oblivisci</i>	兮	<i>qui limat</i>	<i>luxuriant!</i>
諠	<i>O ipsum</i>	屨	猗
		<i>ebur</i>	<i>sic</i>

*Citatur in Confucii libro qui dicitur Tà Ho.*

大學



## POESEOS ASIATICÆ COMMENTARIJ. 7

Ut maximo labore, & arte maximâ  
     Effingit artifex ebur,  
 Sic ad benignitatem amica civium  
     Blandè figuras pectora.  
 Ut delicatâ gemmulam expolit manus  
     Fulgore lucentem aureo,  
 Sic civitatem mitium gaudes tuam  
     Ornare morum lumine.  
 O quàm verenda micat in oculis lenitas!  
     Minantur & rident simul;  
 O quanta pulchro dignitas vultu patet,  
     Et quantus incessu decor!  
 Scilicet amœno, cinctæ virtutum choro,  
     Princeps, amabiliter nites.  
 Annon per omne, Veris instar, seculum  
     Memòria florescet tui \* ?

Egregium hoc est vetustatis monumentum; floruit enim princeps, qui à poetâ Sinico laudatur, circiter octingentos ante Christum annos: docet porrò, similitudinibus à sculptore eboris, & gemmarum politore ductis, quàm remoto seculo gens ea ingeniosissima elegantiores artes coluerit.

Nec pauciora in sermone *Indico* scripta sunt poemata †; sed Indi recentiores, post Mogolorum δυνασειαν à Timuri nepotibus instauratam, Persicè omninò scribunt, ideoque sunt *Persis* subjungendi. Dicendi genere utuntur elato &

\* Vid. *Coupleti Scient. Sin.* pag. 10.

† Vid. *Catal. MSS. in Bibl. Reg. Paris.* in quâ etiam Carminum Sinicorum *Shi king* servatur exemplar.

## 8 POESEOS ASIATICÆ COMMENTARIUM.

magnifico, vel potius abutuntur; quod ex verbis quibusdam (licet subinfulsis) intelligere possumus, quos contexit Indus quidam, ex illorum ordine qui *Bramans* appellantur. Hic enim, singularis cum dignitatis tum eruditionis virum laudare instituens, carmen composuit; quo patronum in cælum effert, & verbis hisce tumidis ac ridiculis alloquitur:

*Utcunque celeris terga sonipedis premas,  
Agitata subitò terra contremiscere;  
Oc̄loque elephantés, vasta mundi columina,  
Sub impetu ascendentis incurvescere.*

Astabat tum fortè, cum hæc recitarentur, *Bernierus* medicus\*, vir in primis doctus, & jucundus scriptor, qui illo tempore commorabatur in *Indiâ*. Is, infulsam hominis irridens adulationem, dixit in aurem Principi, quo utebatur perfamiliariter, “ Cave igitur sæpiùs  
“ equum conscendas, princeps, ne miseri populi  
“ tam crebris terræ motibus pessimè multentur.” Tum ille comiter, “ Ob hanc rem,  
“ inquit, in lecticâ † plerumque vehi soleo.”

Qualis tamen fuerit veterum Indorum, in regione *Coromandelicâ* habitantium, poësis, planè nescimus. Extat certè quidem vetustissimus li-

\* Vid. *Bernieri de Statu Imperii Mogolici* Librum.

† Lecticâ) Indoſtanicè *بالك* vulgò *Palanquin*.